



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

Instructio pro custodibus vel campanariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

23. *S'il y en a qui negligent de se faire instruire, ou leurs enfans des choses necessaires au salut, n'assistant aux prônes & catechismes, ou ny envoyant pas les enfans, aussi bien qu'à l'escole?*

24. *Si le Curé a soïn de faire le catechisme, & d'instruire le peuple particulièrement les enfans des principaux mysteres de nostre foy, & des principes de la religion?*

I N S T R U C T I O

De Custodibus, sive Campanariis.

Custodes non admittantur, nisi Catholici & probæ vitæ ac præviæ fidei professione, & quantum fieri potest, litterati recipiantur, qui ad communiter usitata respondere possint, & sciant quæ sui sunt officii, nec non cantum Gregorianum.

I. Iis autem incumbit, ut Parocho in rebus officium divinum, curamque animarum concernentibus obedientiam utrobique, & reverentiam debitam exhibeant, nec sine ejusdem licentia, potissimum nocte, à parochia abesse eisdem liceat.

II. Nec claves Ecclesiæ cuiquam tradant, nisi parocho, aut, eo absente, alicui è synodalibus senioribus, qui Ecclesiæ etiam sunt jurati, temporibus maximè turbulentis & periculosis, ut in transitu copiarum militarium, aut invasionibus hæreticorum.

III. Ut Ecclesiæ paramenta, ornamenta, sacramque suppellectilem sub inventario à semetipsis subscribendo, (si scribere norint) recipiant, ac in fine cujusque anni Parocho & synodalibus omnia rursus exhibeant, ut eidem inventario incorporentur, si quæ noviter fabrica, vel fidelium benefactorum pietas procuraverit: simulque aperiant, num quid interim Ecclesiæ deperierit, alienatum, vel quovis modo sit amissum, quâ ratione tam Custodum quam eorum hæredum securitati maturè consulitur, ne plus ab eis repetatur, quam

Instructio custodis.

425

in custodiam fuerit concredicum. Eum in finem tradatur illis inventarium ejus supellectilis sacræ, quæ juxta consuetudinem ei asservanda committitur : Et recipiatur sufficiens cautio.

IV. Ut templum, & in eo omnia servent munda, ne quid in domo Dei sit, ubi fidelis populus officiis divinis, verbi divini prædicationi, Sacramentorumque dispensationi interest, quod à reverentia talis loci sit alienum. Templum, quoties opus est, everrant, aut everri curent, cistas, armaria, aliaque repositoria purgent, ornamenta, paramenta ac SS. vestes decenter & nitidè (ubi usurpata fuerint) complacent, suisque locis seponant : lineam quoque supellectilem, prout divinatorum mysteriorum sanctitas requirit, semper mundam esse curent.

V. Ter in die juxta morem pulsent, uti & sub elevatione in sacro summo. Inprimis verò observent, ut coram venerabili Sacramento perpetuum sit lumen procuratum vel ex reditibus fabricæ, vel ex collectionibus parochianorum, vel ex arboribus seu nucibus eum in finem à communitate plantatis, vel ex mulctis à Pastore & synodalibus irrogatis delinquentibus.

Juramentum Custodis seu Campanarij Ecclesiæ.

Ich **N.** verheisse / und gelobe / Gott / und seiner Mutter Maria allen Heyligen / und sonderlich dem heyiligen **N.** Patron dieser Pfarr-Kirchen oder Capellen / daß ich treulich verwahren alle Kirchen-Güter und Sachen / surnemlich aber die Schlüssel der Kirchen

G h h